



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

112. Congregatio Particularis &c. Decretum de Apostatis, & Fugitivis
auctoritate SS. D. N. Innocentii PP. XII. editum die prima Martii 1693.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

plicifiti, Orzaroli, Candelottari, Pesciovendoli, Salumari, Saponari, Ogliarari, Fornari, Vermicellari, Acquavitari, Tabaccari, & ogni altro Artista, prendere una copia del presente Banco, e quella tenerla affissa in luogo visibile nelle loro Botteghe, sotto pena di scudi 50. moneta da applicarsi la metà alla Rev. Camera Apostolica, & il resto da dividersi tra l'Esecutore, & Accusatori ad arbitrio come sopra.

§. 8. E nondimeno affisso, che sarà il presente Editto in Roma alle Porte della Basilica di S. Gio: Laterano, in Campo di Fiore, & altri luoghi soliti, e consueti, e fuori di Roma alle Porte della Chiesa Principale, e del Palazzo, & Casa, dove si rende ragione in ciascun Luogo, Castello, Terra, e Città, attinga ognuno, come se personalmente gli fosse stato intimato. Dato in Roma nella Camera Apostolica questo dì 24. Ottobre 1695.

Maffeo Farfetti Chierico di Camera, e Presidente della zecca.

Innocentio Meola Commiss. Generale.

Domenico Liberati Segr. e Canc. della C. A.

Die, mense, & anno, quibus supra, supradictum Editum affixum fuit ad valvas Curie Innocentianae, ac in acie Campi Florae, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, ut moris est, per me Franciscum Perinum Apostolicum Cursorem.

Jo. Baptista Faina Mag. Curs.

CXI.

EDICTUM.

Super Reditu Religiosorum, Apostatarum, & Fugitivorum ad eorum cujuslibet Religionem, ac poenarum, & poenitentiarum condonatione.

LEANDER miseratione Divina Tit. SS. Nerei, & Achillei S. R. E. Presbyter Cardinalis Colloredus Sanctiss. D. N. Papae, & Sedis Apostolicae Major Poenitentarius.

Apostata
Regulares
invitantur
redire ad
Ordines.

CUM hoc tempore indisti Universalis Jubilei Sanctiss. D. Noster INNOCENTIUS Papa XII. Suorum Praedecessorum exemplo fel. rec. Urbani Papae VIII. & Clementis X. inherendo, pietatis suae viscera etiam erga Regulares suae professionis desertores aperire, illosque ad Christi Domini Ovile reducere, ac eorum quemlibet suae cuique Religioni restituere paterno zelo concupiscat, Nobisque suae dignationis charitatem vocis oraculo manifestam facere commiserit; Nos, qui ejusdem Sanctissimi D. Nostri Papae Poenitentariae curam gerimus, Sanctitatis suae benignissimae voluntati obtemperando, tenore praesentium indicimus, ut Regulares Apostatae, & Fugitivi cujuscumque Ordinis, & Religionis, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & Instituti, qui citra Montes intra quatuor menses, ultra verò Montes intra octo menses à praesentium publicatione inchoandos, sua sponte ad suam quique Religionem redierint, poenarum, & poenitentiarum omnium tam inflictarum, quam infligendarum propter Apostasiam, remissionem, atque impunitatem assequantur; Ita tamen, ut debeant à Superioribus, quibus se praesentaverint, humiliter absolutionem petere, culpamque suam coram eisdem fateri, emendationemque polliceri: Ipsi verò Superiores, ut benignè illos recipere, absolvere, ac poenas, & poenitentias ipsis remittere, paternaeque illos charitate complecti, ut veri obedientiae filii erga mandata, & Litteras Apostolicas teneantur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quarumcumque Religionum, seu Ordinum Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis,

Societatis, & Instituti privilegiis, ceterisque contrariis quibuscunque. Ut autem praesentes Litterae omnibus facilius innotescant, hortamur in Domino Venerabiles in Christo Patres, Apostolicae Sedis Nuncios, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Ecclesiarum Antistites, & locorum Ordinarios, ut illas quanto citius publicari, & executioni demandari faciant. Dat. Romae in Sacra Poenitentaria Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1691. die verò prima Decembris Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii Divina Providentià Papae XII. Anno ejus Primo

L. Card. Colloredus Major Poenitentarius,

Hieronymus Certus S. P. Secr.

Die, mense, & anno quibus supra, supradictum Editum affixum, & publicatum fuit in Acie Campi Florae, & aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Sebastianum Vasellum Apostolicum Cursorem.

Franciscus Perinus Magister Curs.

Decretum de Apostatis, & Fugitivis auctoritate SANCTISSIMI D. NOSTRI INNOCENTII PP. XII editum de prima Martii 1693.

CXII.

Congregatio particularis à Sanctiss. Domino Nostro deputata Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Carpinei, Casanatè, Mariscotti, de Norfolcia, de Lauraa, de Aguirre, & Colloredi censuit auctoritate sibi specialiter à Sanctissimo Domino Nostro attributa infraſcriptum Decretum gratiosum pro hac vice tantum absque spe ulterioris indulti promulgari, ac respectivè indulgeri Apostatis, & Fugitivis hac quae sequitur formà.

Quotquot de Regularibus Apostatis, & Fugitivis quorumcumque Ordinum, vel Congregationum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, vel locorum Regularium ubique existentium, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, à propria Religione apostataverint, etiamſi à Fide Catholica delapsi sese inſidelitatis, vel utcumque haereticae communionis contagione macularint, si citrà Montes intra sex menses, ultra Montes infra annum, extra Europam ad tres annos à die publicationis praesentium in Urbe inchoandos, resipuerint, & ad propriam Religionem redire, vel ad aliam etiam laxiorem transire, in qua tamen vigeat Clausuralis, & Regularis observantia, & respectivè ad Fidem Catholicam, seu ad illius communionem reverti, Deo dante, voluerint, seque praesentaverint alicui, sive Nuncio Apostolico, sive Episcopo, sive Inquisitori, sive, si ad illos facilis non sit accessus, Vicario Apostolico, aut Praefecto Missionum illius Regionis, in qua degunt, quem ipsi elegerint, veniamque coram eo humiliter petierint, & si à Fide delapsi fuerint, omnes errores ab Ecclesia Catholica damnatos detestati fuerint, & abjuraverint in forma solita, ab eodem ut supra, per ipsos electo à quibusvis sententiis, censuris, & poenis Ecclesiasticis, salvo tamen Jure Partium, & Fisci, quibus quomodolibet innodati extiterint, Apostolica auctoritate, quam Sanctissimus Dominus Noster praedictis, & singulis de speciali gratia ad hunc effectum impertitur, absolvi, & in communionem Catholicam recipi, & super irregularitate quoad exercitium Ordinum per eos ratione Apostasiae, & lapsus à Catholica Fide in haeresim, vel ex violatione censurarum dumtaxat contracta, dispensari possint, & valeant, suspenso tamen praedicto exercitio Ordinum, dum extra Clausura permanerint, & Religionem ingressi non fuerint, ac praemissa poenitentia salutari excessibus congrua, condonationem, & remissionem, impunitatemque omnium delictorum, salvo semper Jure tertii, tam antè, quam post Apostasiam commissorum, consequantur,

Apostata
invitantur
redire ad
Ordinem
sub con-
datione
omnium
delictorum,
& reinteg-
ratione
ad gradus
priusinos.

literasque testimoniales gratis concedendas obtentæ absolutionis, dispensationis, condonationis, remissionis, ac impunitatis habere procurent. Iis verò, qui ad aliam Religionem transire voluerint, competens terminus quatuor mensium à die obtentæ absolutionis inchoandus ad inveniendos benevolos Receptores concedatur ab eo, à quo reconciliati fuerint; quo termino durante, sub obedientia, directione, & respectivè Jurisdictione illius Ordinarii, sive alterius ex prædictis Superioribus, cui se præsentaverint, ne vagi discurrant, remanere debeant, eoque elapso, nec alio benevolo Receptore invento, statim ad propriam Religionem redire teneantur, alias habeantur pro Apostatis recidivis, & subjectis eisdem pœnis contra Apostatas per Sac. Canones, Constitutiones Apostolicas inflictis. Irregulares autem ex aliis delictis præter expressa, iisdem Irregularitatibus remaneant obnoxii, nisi postea ab Apostolica Sede ob correctos, & emendatos maxime mores, secundum Ordinarios, & proprii cujusque Ordinis Superiorum attestata tiones, fuerint dispensati. Agnoscant autem Apostatæ, & Fugitivi ita reconciliati, juxta monita Sanctorum Patrum, quam diuturnam, acerbamque pœnitentiam, secundum Sac. Canones, agere oportere pro tot, tantisque sceleribus, studeantque ingenti contritione, fletu, & planctu, aliisque animi, corporisque macerationibus, se ad veniam, largiente Domino, disponere, ut absolutionem à censuris, dispensationem respectivè ab Irregularitatibus, & absolutionem peccatorum Sacramentalem dignè, & salubriter consequi valeant. Deinde verò haud statim, sed interposita convenienti mora, ac prævia novæ vitæ conversatione, veterum peccatorum reliquias per actus veræ pœnitentiæ eluere faragant, priusquam Eucharistiæ Sacramentum sumant, vel ad Ecclesiasticos Ordines administrandos ii, qui super Irregularitate dispensati fuerint, accedant. Sic autem reconciliatos, si ad propriam Religionem revertantur, illorum Superiores benignè recipiant, ac paternè, & charitativè amplectantur, & tractent, ac nisi alia crimina, præter Apostasiam à Religione, vel à Fide Catholica in hæresim, & violationem censurarum, ut præfertur, patravissent, juxta eorum pœnitentiæ fructus, & merita, etiam ad honores, gradus, locum, & voces restituant, eisdem à nemine oburgata antea vitæ memoria, circa quos, ut S. Gregorius monet, sit amor sed non emolliens, sit rigor, sed non exasperans, sit zelus, sed non immoderatè sæviens, sit pietas, sed non plusquam expediat, parcens. Quoad illos verò, qui ad aliam Religionem etiam laxiorem transire voluerint, eadem Sacra Congregatio hortatur in Domino Ordinum Superiores habentes facultatem recipiendi ad habitum, & professionem, ut eos recipiant, & post peractum probationis annum, ad professionem admittant, ad quem effectum Sanctissimi Domini Nostri Papæ auctoritate Superioribus cunctis necessarias omnes facultates impertitur, derogando omnibus Constitutionibus tam Apostolicis, quam proprii cujusque Ordinis, ac si de eis hic expressa mentio facta esset. Datum Romæ die 24. Julii 1694.

G. Card. Mariscottus Pro-Prefectus.

Loco ✠ Sigilli.

R. Pallavicinus Sac. Congr. Concilii Secr.

Die 30. Julii 1694. Supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curie in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Sebastianum Vassellum SS. D. N. Papæ Curso-rem.

Pro Domino Magistro Curforum
Gregorius Staggus Apost. Curl.

Decretum de Ejectis, & Ejiciendis, auctoritate Sanctissimi D. N. INNOCENTII PP. XII. editum die prima Martii 1693.

CXIII.

Instantibus Procuratoribus Generalibus Religionum Ordinum pro moderatione Decretorum de Apostatis, & Ejectis editorum à Sacra Congregatione Concilii, & à san. mem. Urbano Papa VIII. anno 1624. confirmatorum, ut facilius modus Incurribiles ejiciendi præscribatur, Sacra Congregatio à Sanctissimo Domino Nostro INNOCENTIO PAPA XII. super præmissis particulariter deputata Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Carpinei, Casanate, Mariscotti, de Norfolcia, de Laureis, de Aguirre, & Colloredi, perpensis eorumdem Procuratorum Generalium votis, ne consortio morbidarum peccatorum ceteræ corrumpantur, & remedia hucusque ad sanitatem oblata malè affectis officiant magis, quam prosint, maturo examine, zelo Regularis disciplinæ conferendæ, censuit, statuit, & auctoritate ejusdem Sanctissimi Domini Nostri sibi specialiter attributa, hæc imposterum servanda decrevit.

Mitigatur forma alia præscripta sub Urb. VIII. pro ejiciendis Regularibus incurribilibus.

I. Quod nimis, ac in suo robore semper manentibus prædictis Decretis de Apostatis, etiam secundum eam partem ubi agitur de Ejectis, & Ejiciendis, tamquam Sacris Canonibus, & communiori SS. Patrum menti conformibus quoad Ejectos eadem servantur, quæ in alio simili Decreto hac præsentis die emanato de Apostatis, & Fugitivis statuta sunt, & indulta; Quodque ad præscriptam legem san. mem. Gregorii IX, in C. final de Regul. annuatim Fugitivi requirantur, & respectivè cogantur ad Claustra reverti.

II. Quod annus integer, qui in prædictis Decretis anni 1624. præscribitur in penitentia, & jejuniis ad ejiciendos Incurribiles, ad sex tantum menses continuos in posterum coarctetur, & restringatur.

III. Quod facultas Generalibus Ordinibus de consilio, & assensu sex ex gravioribus Religiosis in singulis Capitulis, Congregationibus Generalibus ad Causas Ejiciendorum eligendis, attributa; extendatur etiam ad quoscunque Provinciales, qui electis pariter in Congregationibus Provincialibus sex gravibus ex propria Provincia Religiosis à Generali confirmandis, de illorum consilio, & assensu Causas hujusmodi cognoscant, & ad effectum ejiciendi Incurribiles suæ Provincie, & Ejectionem pronuntiandi, accedente approbatione Generalis, definiant, salva semper Sanctæ Sedis, & S. Congregationis Concilii in casu recursum, & appellationis auctoritate.

IV. Quod in posterum Processus conficiantur juxta Regulas, Constitutiones, Ordinationes, & Stylum cujusque Ordinis, & Religionis, donec aliter fuerit à Sacra Congregatione provissum.

V. At quia nimia sine defectu facilitas recipiendi quoscunque Religionis ingressum petentes, & à Religione forsitan alienos, duram satis tractu temporis necessitatem parit eosdem à Claustris ejiciendi, ne hujusmodi semina, quæ à principio ad fructum faciendum cadunt in terram bonam, paulatim contaminata inordinatis moribus usque ad incurribilitatem succrescant in paleas, eadem Sacra Congregatio, annuente Sanctissimo Domino Nostro sub interminatione Divini Judicii, nec non privationis vocis activæ, & passivæ, ac Dignitatum, & Officiorum obtentorum, cum inhabilitate ad eadem imposterum obtinenda, quibuscunque prædictorum Ordinum Superioribus districte præcipit, & mandat, omnia, & singula Decreta san. mem. Clementis VIII. registrata post Decretum san. mem. Urbani VIII. de Apostatis, & Ejectis incipiens Regularis San-

ctissimus,